

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Joh. Andr. Qvenstedii, SS. Theol. D. & Prof. Publ. Ordin. in
Acad. Witteberg, Ethica Pastorum, & Instructio Cathedralis,
sive Monita, Omnibus ac ...**

Quenstedt, Johann Andreas

Wittebergæ, 1708

VD18 13565508

LXXXI. Non aliam Concionis materiam, quàm textum Biblicum eligat.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-213082

rem abfolvit Epift. XCviii. inqviens: *A faciente
discendum est, quid fit faciendum.* Dabit itaq; ope-
ram Concionator, ut verè commoveatur ipse,
quo possit efficaciter alios commovere. Moti e-
nim movent maximè.

LXXXI.

Non aliam Concionis materiam,
quàm textum Biblicum eligat.

Ε' Ξήγησις.

Acturi de *Mediis*, quæ Oratoris sacri finem
proximè respiciunt, sive ut alij appellant,
Officiis Oratoris Ecclesiastici, (quæ ab omnibus
decantata sunt; *Inventio, Dispositio, Elocutio, Me-*
moriam & Pronuntiatio, seu *Actio*. (Ordinur ab
INVENTIONE, quâ Concionator thema vel
textum accommodum eligit, & quæ ad ipsius
tractationem plenam, perspicuam & fructuo-
sam facere possunt, seligit. In primis materiæ
& argumenti delectus hic habendus est. Hæc
enim est prima Inventionis industria, juxta *Au-*
gustinum, qui Lib. I. de doctrinâ Christianâ cap.
I. docet, negotiū vel officium Oratoris in duo-
bus consistere, primum, ut doctrinam eligere,
deinde, ut eam sufficienter dicere sciat. *Due*
sunt res, inquit, *quibus nititur omnis tractatio*
Scripturarum. Modus inveniendi, quæ intelli-
genda

genda sunt, & modus proferendi, quæ intellectus
sunt. Sicut quilibet artifex primo materiam
operi perficiendo accommodatam invenire,
v. g. lignum, lapides vel metallum, deinde eam
arrificiosè expolire debet. Quis dubitat, non
omnem doctrinam populo prædicandam, sed
eligendam esse? Qui eas materias, quæ vel
tempori vel loco non conveniunt, vel steriles
& aridæ, vel maximè difficiles, & ad captû po-
puli minus accommodatæ, aut merè specula-
tivæ sunt, pro concione proponunt, illi finē O-
ratoris Ecclesiastici & fructû Concionû mini-
mè assequuntur. Et verum hic est illud Poetæ;
*Cui lecta potenter erit res, nec facundia deseret
hunc, nec lucidus ordo.* Sit igitur hæc inter cu-
ras Concionatoris prima & præcipua, ut diu &
attentè cogitet, quâ de re agere velit, eiqve rei
tractanda accommodû quærat ex S. Scriptura
textum. Ex *Sacrâ* inquam *Scripturâ*. Nam se-
cundum Concilii Laodicensi Canonem XX.
*Materia Concionis non nisi textus quidam Bibli-
cus sit.* Textum autem *Biblicum* quando dico,
intelligo inprimis *Canonicum*, qui divinâ au-
toritate & efficacia pollet, ac per se fidem divi-
nam generat in animis auditorum. Possunt
quidem nonnunquam etiam ex Libris Apocry-
phis, v. g. *Ecclesiastico, Libro Sapientiæ, Tobie &c.*
textus

textus pro concione explicari; Quia vero Libri illi à filo, stylo, genio & genuino sensu Canonico-
 rum plurimum discrepant, imò in quibus-
 dam aperte illis repugnant, simul tamē multas
 saluberrimas doctrinas complectuntur, non
 tam ad dogmatū fidei confirmationem, quàm
 ad morum ~~informationem~~ adhibendi sunt.
 Quidam hic distinguunt inter textum Biblicū
formaliter & materialiter sic dictum, ut Bibli-
 cus textus etiam ille sit, qui quamvis nō forma-
 liter attamen materialiter talis est; hoc est, Ver-
 bo Dei Sacris Literis comprehenso exactè re-
 spondens. Huc referunt hymnos Ecclesiasti-
 cos, Cantiones Sacras & precationes Rhythmi-
 cas, sed hæ ipsæ rarius pro concione sunt expli-
 canda. De textibus nō theopneustis vide ju-
 diciū Conventus Ecclesiastici Argentoraten-
 sis; præmissū Concionibus in Augustan. Con-
 fess. Dn. Gœbelii & repetitū a B. D. Dannhau-
 ro Tom. I. Theol. Conscient. parte II, Dial. III.
 sect. 4. quæst. 13. pag. 1014. confer D. Kestéri
 Theol. Cas. cap. 19. contra Amesium lib. 4. de
 Conscient. cap. 26. De Concionibus super Can-
 tiones Ecclesiasticas Germanicas institutis vi-
 deatur Nic. Rebhan in Concionatore c. II. Mo-
 nit. XII. p. 123 seq. ubi ostendit, Conciones ejus-
 modi Cantionales usum suū habere non con-
 temnen-

temnen-

temnendum. Quod scilicet rude vulgus & de sensu
 Cationum usitatarum & de fundamento, quod
 in S. Literis habent, & de applicatione utiliter
 erudiatur. Addit tamen cautelas 1. ut concio-
 nes ejusmodi rarius instituuntur, 2. ut non nisi
 illarum Cationes pro concione exponantur, quae
 Lutherum ipsum, vel discipulos ejus ^{ymonicos}
 autores aut approbatores agnoscunt, & usum jam-
 diu in Ecclesiis receptum fuerunt. t. D. Henr. Mülle-
 rus, Theol. Rostoch. in Orat. Eccles. part. Gener.
 cap. 1. pag. 1. monet, Res Ecclesiasticas rarius &
 non nisi in casu extraordinario pro concione
 explicandas, idque praemisso textu Biblico, qui
 ejusdem sit tenoris. Ceterum, quod Textus Bi-
 blicos concernit; Olim integri libri S. Scripturae
 Vet. & N. T. ab initio usque ad finem in Ecclesia
 praelegebantur per partes, hoc observato ordi-
 ne, ut reversi ad sacras operas, inde inciperent,
 ubi antea finierant, hisque praelectionibus S.
 Patres suas explicationes subiciebant. Docet id
Justinus Martyr è seculo II. scriptor an-
 tiqvissimus, Apolog. secundam inqvies;
*Die, quod Solis dicitur, omnium, qui ruri
 & in urbibus sunt, conventus fit, & com-
 mentaria Apostolorum vel scripta Pro-
 phetarum, prout tempus fert, leguntur.
 Deinde Lectore quiescente, Praeses ora-
 tionem, quam populum instruit & ad imi-
 tationem tam pulchrarum rerum cohort-*

tasur.

tatur, habet, scil. Conciones suas ad illas Lectiones textuum Biblicorum accommodavit. Eundem morem indicat quoque *Augustinus* in Psalm. 34. quando ait; *Huc usque Psalmus lectus est, huc usque tractandus est.* Quo tempore verò, quoque autore certæ pericopæ, (περίοχαι vocantur Actor. VIII. 32.) sive Lectiones ex Scriptis Evangelistarum & Apostolorum selectæ & excerptæ, quas Evangelia & Epistolas vocamus, in Ecclesiis prælegi cœperint, nondum satis exactè constat. Quidam ex *Augustini* sermonibus de tempore evincere conantur, jam tum quarto post Christum natum seculo certos textus Biblicos singulis diebus Dominicis fuisse prælectos & expositos, sed an isti sermones de Tempore sint genuinus *Augustini* partus, meritò dubitatur. Alii istarum Pericoparum Evangelicarum originem *Hieronymo* adscribunt, qui distributionem illam susceperit jussu Imperatoris Theodosii, & svasu Damasi Episcopi Romani. Sed ex sermonibus *Gregorii M.* qui Hieronymo duob; ferè seculis posterior fuit, apparet, quod nec illo tempore istæ per omnia fuerint in usu. Pleriq; eas vel *Beda* tribuunt, qui æstivales & hyemales sermones post se reliquit, quorū textus nostris pericopis congruunt, vel *Alcuino*, venerabilis *Beda* audi-

audi-

auditori, & Caroli M. Imper. (cujus pietate & virtute majores nostri, Saxones ab idolorū cultu avocati, & ad Christum traducti sunt,) Præceptorī, ac *Paulo Diacono*, Monacho Cassinensi, qvi jussu jam laudati Caroli M. distributionē illam confecerint. Ast nec hanc sententiam omnes recipiunt. Censent enim nonnulli textus nostros Evangelicos & Epistolicos longe esse antiquiores, Carolum M. verò jussisse aliquas congerere homilias Patrū, in quibus hæc *ἑρμηνεία* Evangelicæ & Epistolica explicarentur, quas nunc legimus in Ecclesiis. Hasq; homilias seu explicationes ex quorundam Patrū scriptis collectas, & textibus illis Evangeliorū & Epistolarum adjunctas, appellatas fuisse POST-ILLA, quod post textus illos Biblicos legerentur, quod nomen etiam nū Meditationes Theologorū in illos textus obtinent. *Sigebertus Gemblacensis* ad annū DCCCVII. cum aliis vetustioribus hanc operā tribuit Paulo Warnefrido Diacono, *Sixtus Senensis* verò Lib. IV. Bibl. S. eam adscribit Alcuino, homini Anglo, quod scilicet hic jussu Caroli M. collegerit & in ordine redigerit præstantissimorū Ecclesiæ Doctorum homilias in Evangelia, quæ per anni ambitū in templis legantur. Addit, omnes numero esse CCIX. Illud ex *Augustini* præmio in Epist.

S. Jo-

ibus

S. Johannis constat, habuisse Veteres Christianos certas Lectiones Evangelicas, quæ pro diversitate *Festorum* legerentur & explicarentur. Verba ejus hæc sunt; *Meminit Sanctitas Vestra, Evangelium secundum Johannem ex ordine Lectionum nos solere tractare. sed quia nunc interposita est solennitas s. dierum, quibus certas ex Evangelio Lectiones oportet in Ecclesiâ recitari, quæ ita sunt annuæ, ut alia esse non possint, ordo ille, quem susceperamus, necessitate paulo intermissus sit, non omissus.* Testatur quoque *Hieronymus* in Apologiâ contra Vigilantium, jam ante sua tempora textus illos Evangelicos & Epistolares in Ecclesiâ Græcâ prælegi fuisse solitos, se verò illum morem in Latinas etiam Ecclesias introduxisse, hortatore Damaso, Episcopo Romano, & approbante deinceps Anastasio, Damasi successore. Negari autem non potest, textus illos, qui Patrum istorum temporibus, diebus Festis ac Dominicis fuerunt assignati, & in Conventibus Ecclesiasticis expositi, nostris hodiernis pericopis præsertim Dominicalibus, quæ usitatè Evangeliorum & Epistolarum nomine appellantur, minime per omnia respondere. Improbant quidem & rejiciunt nonnulli Calviniani ordinariorum istarum sectionum expositionum,

latius esse existimantes, si integer aliquis Evangelista, quàm tales *πρεσβυτεροι* Evangelistarum diebus solemnibus explicentur, ita Calvinus in defens. Secunda contra Westph. p. 913. *Ame-sius* Lib. IV. de Conscient. cap. 26 quæst. 2. aliiqve. Sed dum nostram hanc consuetudinem rejiciunt, accidit interdum, ut in Calvinianorū Ecclesiis nonnullis, tempore Natalitiorū Domini de Passione, vel Resurrectione Christi, aut effusione Spiritus S. verba fiant, non sine insigni confusione & sincerioris affectus ac devotionis impedimento. Quemadmodum de Zwinglio refertur, eū die parasceves, quo memoria Christi pro nobis passi, crucifixi, mortui & sepulti in Ecclesiā recolitur, historiā de nuptiis in Cana Galilææ; in die Resurrectionis, seu festo Paschatis historiā Nativitatis; in die Ascensionis historiā passionis, concionando explicasse, vite *Chemnitium* part. IV. Exam. Concilii Trident. Edit. Francos. in fol. pag. 811. col. 2. Et quæstio h. l. est de diebus Dominicis & Festis, an scil. in illis certæ pericopæ Evangelicæ vel Epistolice ad debitam Ecclesiæ ædificationem exponi possint, nam in concionibus hebdomadariis, quæ scil. aliis diebus habentur, in Ecclesiis nostris plerumqve liber aliquis Biblicus continuâ & non interrupta serie explicatur.

tatur. Interim omnino obtanda esset accuratior Pericoparum selectio. Sunt *Evangelica* nonnulla dulcissima omissa, e. g. Colloquium Christi cum Samaritanâ Joh. 4. alia nimis frequentata, ea scil. quæ de miraculis agunt, judice *B. D. Dannbauero* loc. supra cit. p. 1015. *Epistolares* non omnes usque adeo sunt appositæ, unde *B. Lutherus*, aliique nostrorum Theologorum, judicium in Collectoribus desiderant, statuuntq; eos in excerpendis & seligendis illis pericopis alicubi exquisitiorem dilectum adhibere debuisse. *B. Lutherus* Tom. III. Jen. Germ. pag. 270. fol. 2. de illis ita censet. *Als dann soll folgen die Epistel. Es ist aber doch nicht Zeit/ daß man da eine Newverung anfahe/ weil man keine unchristliche lieset/ doch weil die Stück aus den Episteln S. Pauli selten gelesen werden/ darinne der Glaube gelehret wird; sondern am meisten die/ so äußerlichen Wandel und Ermahnunge fürhalten/ daß man wohl merken kan/ daß der/ so sie dermassen geordnet hat/ sehr ungelahret gewesen sey/ und alzuviel von den Wercken gehalten hat/ hette sich wohl gebühret/ daß man die Stücke fürnehmlich zu lesen verordnete/ darinn der Glaube an Christum gelehret wird. Sol-*

ches hat er auch zum öfftern mahl mit den Evangelien gethan; Er sey nun/ wer er wolle/ gewesen /der solche Section geordnet hat. *B. Balduinus* in Epist. Dedicat. præmissa Homil. in Epistol. Dominical. inquit; *Nihil frequentius, occurrit in Epistolis Dominicalibus, quam commendatio bonorum operum, exhortatio ad pietatem, detestatio scelerum, & ut verbo complectar omnia, instructissimum vitæ verè Christianæ & audeur̃giov. Sunt enim pleræque Epistolæ merè legales, ita ut fortasse non erraverit, qui piam Antiquitatem in constituendo Syntagmate textuum solemnium eò inprimis respexisse dixerit, ut simpliciores ex Evangeliiis Dominicalibus rectè credere, ex Epistolis verò pie vivere discant. Vide de hac re B. Gerbardum in Epist. dedicat. ad S. Homil. B. Balduinum loco jam citato. B. Dannbauerum in Lact. Catech. part. I, pag. 424. ubi & Amesii objectiones dilutæ sunt, confer D. Hildebrandum dissert. de Veterum Concionib, thes. 14. seq. Sed redeamus è diverticulo in viam. Textus sacri pro concione explicandi sunt vel ordinarii & statii, vel extraordinarii aut arbitrarii, & electi. Ordinarii sunt vel anniversarii, ut solennes Evangeliorum & Epistolarum Apostolicarum particulæ, (quæ ex ordinatione totius Eccle-*

Eccle-

Ecclesiæ diebus Dominicis & Festis anniversariis consecrata,) de quibus hætenus dictum, item Historia Passionis Dominicæ, quibus accedunt textus Catecherici, vel *Hebdomadarii*, quando certus Liber Biblicus, vel certum libri caput exponitur. *Extraordinarii* sunt vel *Conubiales* seu Nuptiales, vel *Funebres*, vel *Pœnitentiales*, vel *Inaugurales* &c. Diversis videlicet Casibus, temporibus, locis vel personis accommodati, vel etiam *arbitrarii* & electi, singulis vicibus soluti. Quando continuus textus seu capitis seu libri totius Biblici explicatur; duplex cautio adhibenda, 1. ut utilis argumenti liber eligatur, 2. ut in tractando longior mora eviteatur, prolixa enim diductio alicujus materie, vel nullam excitat attentionem, vel excitatam extingvit. In homiliis extraordinariis devotè invocet Deum, ut appositum textum ipse monstret, ex quo ad ædificationem erudire Auditores possit. *Verbum enim in tempore suo*, (i. e. sermo tempestivus, opportunus, ubi Loquens prudenter dispicit de auditoris dispositione, vel statu & conditione præsentè,) *quod bonum*, i. e. res salutaris est. Proverb. XV. 23. confert. c. XXV. 11. Hinc D. Job. Pappus dixit: fertur; Interdum plus temporis & laboris in investigando textu appposito ad concionem ex-